



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Pretiosi cibi non sunt quærendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

*Quod preciosi cibi non sunt querendi. Tertia pars huius capituli.*

**A**D non expetendum preciosa, primo debet eum monere professio voluntariæ paupertatis. Qui parum vult habere consequens est, vt parum velit expendere. Qui precium non habet, preciosa querere non debet. Senec. Pauper, vbi diuites cœperit imitari, perit. Secundo, affectio pietatis, quã debet habere ad pauperes Dei filios & fratres suos: inter quos multi sunt qui etiam panem nō possunt habere. Qualis est fraternitas, quod alij non habeant necessaria, alij habeant superflua? Magna puerfitas quod vilis seruus preciosa querat: cū Dominum suum in pauperibus egere sciat. Non videtur verum membrum esse illius, cuius Christus est caput, qui indigentia membrorum eius non competitur: Si quid patitur vnum membrum, competiuntur omnia membra. Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis eius læteris. Bernardus: Noli putare gratuitū, quo impendis proximo: velis nolis debitor es.

1. Cor. 12.  
Eccl. 22.

Tertiò, peccatum quod est in acquirendo. Frequenter enim sumptus quibus preciosa habentur, acquiruntur vel cum periculo eius qui eis vtitur: vel illius à quo dantur. Noluit Dauid bibere aquam quam sibi attulerant tres fortes sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Melius est sine periculo tantum panem & aquã sumere, quàm cum periculo

2. Reg. 23.  
1. Mach. 5.

culo preciosa habere. Iudas secessit in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis. Quarto, conditio corporis. Cum enim corpus vas sit, ubi corrumpitur quod infunditur: fatuum videtur esse, ibi preciosa ponere. *Ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perit ab ore vestro. Non sic est in aliis sensibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cum semel visa fuerit: nec res odorifera, cum semel odorem eius aliquis perceperit. Non videtur quod Deus voluerit hominem quærere cibos pretiosos, qui eandem assignauit cum iumentis escam. Ecce dedi vobis herbam afferentem semen supra terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Quod cibi preciosi quæruntur, hoc frequenter accidit, vel ex delectationis amore, vel ex ambitione, & utrobique est magna fatuitas. Fatuum est sumptus magnos facere pro breui delectatione, quantum transitus cibi per guttur durat, solum durante. Item valde fatuum est & peruersum pascere oculos mundi de hoc, quod subtrahitur in pauperibus famelico ori Dei.*

*Quod delicia non sunt quærenda corpori. Quarta pars huius capituli.*

**M**ultis de causis fatuum est corpori suo delicias procurare. Primo, quia qui delicatis utitur, infirmitati corporis sui medicum adhibet, unde infirmitas aggrauatur. Se-